

externique iterum thalami.

tu ne cede malis, sed contra audentior ito, 95
quam tua te fortuna sinet: via prima salutis,
quod minime reris, Graia pandetur ab urbe.'

Talibus ex adyto dictis Cymaea Sibylla
horrendas canit ambages antroque remugit,
obscuris vera involvens, ea frena furenti 100
concutit et stimulos sub pectore vertit Apollo.

ut primum cœssit furor et rabida ora quierunt,
incipit Aeneas heros: 'non ulla laborum
o virgo, nova mi facies inopinave surgit;
omnia praecepi atque animo mecum ante peregi. 105

unum oro: quando hic inferni ianua regis
dicitur et tenebrosa palus Acheronte refuso,
ire ad conspectum cari genitoris et ora
contingat, doceas iter et sacra ostia pandas.

illum ego per flammam et mille sequentia tela 110
eripui his umeris medioque ex hoste recepi;
ille meum comitatus iter, maria omnia mecum
atque omnis caelique minas pelagique ferebat,
invalidus, viris ultra sortemque senectae.

quin ut te supplex peterem et tua limina adirem, 115
idem orans mandata dabat. gnatique patrisque,
alma, precor, miserere — potes namque omnia nec te
nequiquam lucis Hecate praefecit Avernis —

si potuit manis arcessere coniugis Orpheus
Threicia fretus cithara fidibusque canoris, 120
si fratrem Pollux alterna morte redemit
itque reditque viam totiens. quid Thesea magnum,
quid memorem Alciden? et mi genus ab Iove summo.'

Talibus orabat dictis arasque tenebat,
cum sic orsa loqui vates: 'sate sanguine divom, 125
Tros Anchisiade, facilis descensus Averno —
noctes atque dies patet atri ianua Ditis —

sed revocare gradum superasque evadere ad auras,
hoc opus, hic labor est. pauci, quos aequus amavit
Iuppiter aut ardens evexit ad aethera virtus, 130